EL MAESTRO Fr. LUIS DE LOS RIOS,

Prior Provincial de la Provincia de Andalucìa, Orden de Predicadores: Hago saber â VV. PP. como en el Corrèo immediato de Roma recibo un Pliego de N. R.mo P. General Fr. Antonino Bremond, que contiene el discurso, que hizo N. S. P. Benedicto XIV. al Sacro Colegio de los Em.s S.res Cardenales en el Consistorio Secreto, que celebrò su Santidad el dia 16. de Septiembre deste año, y es â la letra, como se sigue:

ALLOCUTIO

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

BENEDICTI PAPÆ XIV.

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO

Die 16. Septembris 1748.

DE PRETIOSA MORTE

PETRI MARTYRIS

EX ORDINE PRÆDICATORUM, EPISCOPI MAURICASTRENSIS, VICARII APOSTOLICI PROVINCIÆ FO-KIENSIS IN REGNO SINENSI.

VENERABILES FRATRES.



CONSENTANEUM magnopere arbitramur, si ex hoc loco Vobis exponamus ea, quibus Sancta Catholica Religio magna cum laude prædicatur. Itaque notum facimus Vobis, accepisse ex literis; quæ nuper ex Sinensi Regno ad Nos pervenerunt, Episcopum Mauricastrensem, Vicarium Apostolicum Provinciæ Fo-kien, Petrum Martyrem

nuncu-

nuncupatum, ex Ordine Prædicatorum, pro Fidei Christianæ defensione vitam amisisse; qui propterea, si veteri Ecclesiæ vocabulo uti velimus, *Martyr consummatus* appellari potest. Significatum est iisdem literis, alium ejusdem Ordinis Virum Religiosum, & ejusdem Episcopi Coadjutorem designatum, unà cum tribus aliis ex ipsa eadem Familia Sancti Dominici inclusum carceribus detineri, inustasque fronti singulorum Sinenses notas, quibus rei mortis indicantur: qui sanè omnes, pro vetusta Ecclesiæ loquendi ratione, *Martyres designati* vocari possunt.

Epist. 164. Edit. Parisien. *Ubi epistolam in manus sumpsi, eamque legi sæpiùs, ac redundantem in ea gratiam spiritus perspexi; mihi videbar priscis temporibus versari, cùm florerent Eccesiæ Dei.* His verbis scripsit Sanctus Basilius ad Ascolium Episcopum Thessalonicensem, qui Martyrium recensuerat, quod plures Christiani â Barbaris ultra Danubium degentibus constanti animo pertulerant: iisdem Nos verbis utimur; & rei, quam exposituri sumus, libenter acommodamus. Porrò res ita se habuit.

Cùm gravissima in Provincia Fo-kien contra Christianos tempestas excitata fuisset, ob quam territi, perculsique plurimi â Catholica Fide miserè desciverunt, Mauricastrensis Episcopus, qui Vicarii Apostolici munere illic fungebatur, latendum sibi censuit in privatis ædibus, & â violento illo turbine paulisper declinandum. Sed imminentem sibi ruinam pertimescente hospitii Domino, cùm Episcopum diutiùs tueri latebris domus suæ recusaret, vix ipse in lucem prodiit, captus fuit, & in carcerem detrusus, ex quo tamen Christianam Fidem verbis, & exemplo, quoad potuit, prædicabat. Quinimo ante Judicem constitutus, ipsi libera voce denunciavit, futurum aliud in fine Mundi judicium, ubi vitæ anteactæ rationes exigantur, & pro meritorum conditione præmia, vel supplicia decernantur æterna. Quamobrem conviciis, & injuriis primùm oneratus, deinde toto vultu ob iteratos colaphos contuso, ac liventi, tandem capitis reus iniqui Judicis sententia declaratur. Illam Episcopus æquo animo libenter excepit, & Sacramentis expiari magno studio postulavit. At, licèt quidam Sacerdos, qui summa fide, & amore Episcopum suum prosequebatur, nihil intentatum reliquerit, ut Eucharistiæ Sacramentum ad ipsum deferret, vani tamen illius conatus, irritique cesserunt. Postremò, cùm dies illuxisset, qua capite plecti debebat Episcopus, carcere eductus,

& magna ſatellitum turba ſtipatus, ad ſupplicii locum proceſsit, quem Gentilium multitudo, & non exiguus Chriſtianorum numerus ſequebantur. Collo ſuſpenſam gerebat tabellam, cui mortis cauſa ſcripta erat, videlicet, quòd manu Carnificis caput illi obtruncandum eſſet, ut hujuſmodi ſupplicio reliquis exemplo eſſet, eo quòd ſuis mendaciis, utì ferebatur, plurimos decepiſſet. Incredibile eſt, quam eximiam virtutem, animique magnitudinem præſeferret, cùm ad mortem ſubeundam duceretur. Curis omnibus abjectis, aſsiduas in itinere preces Deo fundebat, & quo poterat maximo ſtudio ſe ipſum commendabat. Cùm perveniſſet in locum ſupplicii, juſſus â Carnifice, ut in genua provolveretur, dicto paruit; & ſolùm ab illo tantum temporis ſpatium exoravit, donec cœptas jam preces abſolveret. Quibus peractis, Carnificem ipſemet admonuit, ut rem ſuam perficeret, qui vibrato gladio caput ab humeris ipſi præcidit.

Gentiles ipſi virtutem tam ſingularem admirati ſunt, cruentoque ſpectaculo ſe commotos, ac perculſos magnopere oſtenderunt; Chriſtiani verò mortem Paſtoris ſui lacrymis, ac mœrore proſecuti ſunt; ita tamen ut animum non deſponderint, ſed corpus decenter efferentes, eo quidem loco priùs condiderint, quo rei homines ſepeliri conſueverunt: ſed paulò poſt in Cœmeterium Fidelium idem corpus deferentes, ſuæque dignitatis inſignibus exornantes, decenti loco illud poſuerunt. Cùm id fieret, Chriſtiani pietate, ac religione ducti, particulas aliquas, præſertim veſtium, quæ ſanguine aſperſæ fuerant, ſibi comparantes, in varias etiam partes miſerunt, eo fortaſsè conſilio, ac voluntate, ut publicæ venerationi exponantur. Cùm hujuſmodi Martyrii fama longè, latèque pervagaretur, Pechini Epiſcopus pro gratiarum actione Canticum *Te Deum* univerſis ſuæ Ditionis Eccleſiis edixit. Eadem celebritas peracta fuit ab Epiſcopo Amacaumenſi, cui Epiſcopus Ecrinenſis, Vicarius Apoſtolicus Provinciæ Yunnamenſis, Gubernator Luſitanus cum Senatu, & multa Regularium frequentia præſentes interfuerunt. Inſuper tota Civitas triduo ſub veſperam, funalibus accenſis, hilaritatem ſuam teſtata eſt.

Si hæc ita ſe habeant, quemadmodum literis ſuis commendavit Sacerdos Sæcularis, vir probus, atque honeſtus, qui non ſolùm omnia, quæ ſuperiùs commemoravimus, accuratè, ac diligenter deſcripſit; ſed plura ipſe oculis ſuis perſpexit; qui

etiam,

etiam, utì jam dictum est, captivum Episcopum, & morti proximum Eucharistiæ recreare conatus est; si, inquam, res ita se habeant, prout novis, aliisque recenter acceptis monumentis confirmantur, Martyrium, & Causa Martyrii, cùm tempus postulaverit, facili negotio ostendentur. Nam facilè constabit, Tyrannum adductum fuisse odio in Catholicam Religionem, ut Episcopum reum mortis pronunciaret: Argumento est tabella, quæ pendebat ipsius collo, & mortis causam inscriptam præferebat; argumento est sententia mortis â Tyranno prolata, in qua Episcopus obtruncandus Carnifici traditur, eò quòd hominum multitudinem perversa religione seduxerit; argumento pariter erunt infelices illi, qui â Fide Catholica deficientes, ab omni discrimine immunes evaserunt: Postremò accedit, quòd furente tempestate illa persecutionis, & alias quòque Provincias pervadente, nempe Xensensem, & Xansensem, quæ Portimensi Episcopo, Vicario Apostolico subjiciuntur, illud compertum, & exploratum Nobis est, Sacras Christianorum Ædes in illis locis dirutas, & solo æquatas fuisse, ita ut ipse Episcopus, si fieri posset, Amacaum confugere cogitaverit.

Porrò Episcopum pro Catholicæ Fidei amore subiisse mortem, & nihil omnino eorum ipsi defuisse, quæ ad id probandum requiruntur, apertissimè quòque demonstrabitur. Quippe in ea tabula, quam paulò antè indicavimus, nomine *Seductoris* appellatur, eò quòd plurimorum tenebras Evangelii luce depulerit, eosque ad Christianam Fidem converterit. Siquidem amantissimum Redemptorem nostrum *Seductoris* quòque nomine Judæi nuncuparunt, quod ipse libenter tulit, ac permisit, ut suo exemplo voluptatem, ac lætitiam perciperent famuli sui, quos eodem titulo vocitandos prospiciebat. Insuper mortis sententiam Episcopus libenter amplexus est; conatus omnes impendit, ut piè, sanctèque cursum suum consummaret; imminentem jam corporis sui dissolutionem, utì Martyrem decebat, forti animo adspexit; & usque ad finem in hac virtute perseveravit. Equidem initio furentis procellæ lucem publicam devitans, se latentem continuit; verùm, non timori, vel animi imbecillitati, sed Christianæ prudentiæ illud est tribuendum. Nam, prætermissis exemplis, quæ plura ab Scriptoribus Ecclesiasticis recensentur, Cleri Romani judicium huic rei maximè suffragatur; cùm enim Sanctus Cyprianus, Carthaginensis Episcopus, ad illum literas dedisset, quibus nunciabat ab Ecclesia sua paulùm se recessisse,

dum

dum Tyrannorum persecutio in Christianos furentissimè debaccharetur, Romanus Clerus magnopere probavit, quòd se ab illo discrimine proripuisset, ut inde majori cum utilitate animarum, quæ ipsius curæ traditæ fuerant, cùm propitium tempus id postularet, ad Ecclesiam suam reverteretur.

Hæc quidem omnia Mauricastrensem Episcopum, ejusque pretiosam mortem summopere commendant, si, ut anteà diximus, veritati consentanea sint, quæ scripta ad Nos pervenerunt. Attamen alia multa requiruntur, ut idem Episcopus inter eos Martyres adscribatur, quos Ecclesia *Martyres vindicatos* appellare consuevit. Quapropter ex iisdem rei monumentis, quæ accepimus, ea decernere, & perscribere non omittemus, quæ necessaria sunt, ut Causa hujus Martyrii pro jure, & legibus Ecclesiæ instituatur; ita quidem, ut locorum maximæ distantiæ ratio habeatur. Illud quoque in dubium revocari posse cognoscimus, utrùm Sinenses Christiani Cultus privati limites prætergressi fuerint, defunctoque Episcopo ante Sedis Apostolicæ judicium Cultum publicum exhibuerint. Quamobrem opportunè consulemus, utì fas est, nè ob hanc rationem, labente cursu temporis, ejusdem Episcopi Causa aliquid detrimenti patiatur. Porrò significationes hujusmodi publici Cultus, quem Fideles, licèt immaturè, ipsi præstiterunt, nobis argumento sunt, illos in ea sententia firmissimè versari, quòd Episcopus Martyris coronam, & gloriam sit consecutus. Nemo vestrûm miretur, si ipsum Martyrem nuncupavimus, neque ullo modo Canonicas Sanctiones à Nobis violatas existimet, quarum adsertores, & Custodes Nos ipsos semper fatebimur: Episcopum quidem Martyrem, haud *vindicatum*, sed *consummatum* appellavimus, quod etiam rerum Scriptoribus licet, qui posteris illorum vitam, & res gestas commendant, quos pro Christiana Religione hoc mortali spiritu defunctos arbitrantur; modò tamen Lectores admoneant, haud revera Martyres habendos, nec colendos ob ea solùm, quæ ipsi suis in Libris commemorant. Hæc fusiùs explicavimus in nostris de Canonizatione Sanctorum Commentariis, & Nos ipsi præscripta fecimus, dum Episcopum Mauricastrensem *Martyrem consummatum*, non autem *vindicatum* nominavimus, cùm publicus Cultus Martyribus tantùm vindicatis debeatur. Lib.2.cap. 12. n.5.

Vulgata, & communis omnium opinio huic Mauricastrensi Episcopo primi Martyris Sinensis gloriam impertitur. Nos tamen

men certis documentis adducimur, ut contrarium omnino sentiamus. Etenim exploratum habemus, duas alias Martyrii Causas apud Sinenses peractas ad Congregationem de Propaganda Fide superiori tempore fuisse delatas, quarum prima quatuor Presbyteros complectitur, qui pro Fide Christi supremum diem obiverant; altera verò Causa confecta est pro Sacerdote Francisco de Capillas, qui Catholicam Religionem sanguine suo confirmarat. Causæ verò hujusmodi jussu Urbani VIII. Prædecessoris Nostri traditæ fuerunt examinandæ Congregationi Sacrorum Rituum, cujus etiam Decreta Nos ipsi perspeximus, ad Causam Martyrii Francisci de Capillas instituendam confecta. Alia quòque Decreta non ignoramus, quæ pro Causa eadem prosequenda edita fuerunt, cùm Clemens IX. Prædecessor Noster Summum Pontificatum administraret. Hæc veritatis amore dicta sint, non verò, ut nomen, & gloria Episcopi Mauricastrensis, aut Ordinis Sancti Dominici laudes imminuantur; cùm præsertim Venerabilis Dei Famulus Franciscus de Capillas, & alii quatuor Sacerdotes, quos paulò antè recensuimus, ex eadem S. Dominici Familia prodierint.

In Summario Priviiegior. Ord. Prædic. collecto ab Antonio Gonzalez de Acuña pag. 148. & seq.

Finem huic nostræ Allocutioni imponimus, spem Nostram declarantes, quæ reposita est in sinu Nostro. Quemadmodum enim singulari virtuti, & sanguini Martyrum, quos modò recensuimus, & aliorum fortaſsè, quos ignoramus, tribui posse videtur, quod superiori tempore Christiana Religio tantopere apud Sinenses floruerit; ita speramus futurum, ut Sinensis eadem Misſio, præsenti hac tempestate compositâ, ac depulsâ, in pristinum gloriæ statum restituatur, ob virtutem, & sanguinem, quem Episcopus Vicarius Apostolicus nuper effudit; cujus etiam exemplum, utì confidimus, quatuor alii Sacerdotes ex eodem Ordine, quos pro Christiana Fide captivos Vobis anteà memoravimus, pari animi magnitudine sequentur. Ita sanè futurum speramus, ducti auctoritate, & unanimi Patrum Ecclesiæ sententiâ, qui scriptum Nobis reliquerunt, tum potiſsimùm temporis Catholicam Religionem magis elevatam, & amplificatam fuisse, cùm in illam Tyranni majori furore, & immanitate desævirent, ita ut ex Martyrum sanguine, veluti ex fœcundo semine, Christiani in dies augerentur. Ita secundo sæculo Sanctus Justinus Martyr testatus est: *Sed quantò magis, magisque talia nobis infliguntur, eò plures alii per nomen Jesu Fideles, & pii fiunt; quemadmodum vitis, si quis partes illas amputet, quæ fructus ferunt, ita proficit,*

In Dialog. cum Tryphone Judæo numer. 110.

proficit, ut alios florentes, & fructiferos palmites rursus proferat, idem quoque nobis evenit: plantata enim â Deo, & Salvatore Christo vitis populus ejus est. Idem quoque Tertullianus initio tertii sæculi confirmavit in suo Apologetico: *Plures efficimur, quoties metimur â vobis: semen est sanguis Christianorum.* In Libro autem ad Scapulam: *Nec tamen* (inquit) *deficiet hæc Secta* (nempe Christiana Religio) *quam tunc magis ædificari scias, cùm cædi videtur.* Idem Lactantius sæculo tertio labente tradidit in libro suarum Institutionum: *Est & alia causa, cur adversùs nos persecutiones fieri sinat, ut Dei populus augeatur:* quod fusiùs prosequitur, certisque rationibus declarat. Plura alia in hanc sententiam testimonia proferri possent; sed illud Sancti Leonis Magni Prædecessoris Nostri, qui sæculo quinto Pontificatum gerebat, satìs erit, ut res planè comprobetur: *Non minuitur* (inquit ipse in sermone de Sanctis Apostolis Petro, ác Paulo) *Non minuitur persecutionibus Ecclesia; sed augetur, & semper Dominicus ager segete ditiori vestitur, dum grana, quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur.*

Cap. 50.

Lib. 5. c. 23. in fin.

Y â fin de que dèmos â Dios reconocidos las gracias, por el singular honor, que â nuestra Sagrada Religion resulta, assi del martyrio del Venerable Ilustrissimo Sans, como deste discurso, emanado en su elogio de la boca de N. S. P. hago publico â VV.PP. este Pliego, para que humildes reconozcamos los Divinos beneficios, con qne se sirve bendecir, ê ilustrar nuestros Sagrados Operarios en las partes remotas de la China. Dios guarde â VV. PP. en su gracia. Sevilla, y Noviembre 15. de 1748.

Siervo afecto de VV. PP.

Fr. Luis de los Rios.

Reg. fol. 22.
Fr. Benito de Avila.
Lect. de Theol.a y Comp.o

profecit, ut alios pariantes, & fructifera palmites rursus proferat, idem quoque nobis evenit: plantata enim à Deo, & Salvatore Christo vera populus ejus est. Idem quoque Tertullianus initio tertii sæculi confirmavit in suo Apologetico: *Plures efficimur, quoties metimur à vobis; semen est sanguis Christianorum.* In Libro autem ad Scapulam: *Nec tamen* (inquit) *deficiet hæc Secta* (nempe Christiana Religio) *quam tunc magis ædificari scias, cùm cædi videtur.* Idem Lactantius sæculo tertio labente tradidit in libro quarto Institutionum: *Est & alia causa, cur adversus nos persecutiones fieri sinat, ut Dei populus augeatur:* quod fusius prosequitur, certisque rationibus declarat. Plura alia in hanc sententiam testimonia proferri possent; sed illud Sancti Leonis Magni Prædecessoris Nostri, qui sæculo quinto Pontificatum gerebat, satis erit, ut res planè comprobetur: *Non minuitur* (inquit ipse in sermone de Sanctis Apostolis Petro, ac Paulo) *Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur, & semper Dominicus ager segete ditiori vestitur, dum grana, quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur.*

Cap. 50.

Lib. 5. c. 23. in fin.

Y à fin de que démos à Dios reconocidos las gracias, por el singular honor, que à nuestra Sagrada Religion resulta, assi del martyrio del Venerable Illustrissimo Sans, como deste discurso, emanado en su elogio de la boca de N. S. P. hago publico à VV. PP. este Pliego, para que humildes reconozcamos los Divinos beneficios, con que se sirve bendecir, è ilustrar nuestros Sagrados Operarios en las partes remotas de la China. Dios guarde à VV. PP. en su gracia. Sevilla, y Noviembre 15. de 1748.

Siervo afecto de VV. PP.

Fr. Luis de los Rios.

Reg. fol. 22.

Fr. Benito de Avila.

Lect. de Theol.a y Comp.o